

Flaminia; G. Sanders, La perennité du message épigraphique: de la communauté chrétienne élitaire du Bas-Empire au corps professoral de l'Université médiéval de Bologne. – Alla fine M. Le Glay dà conto dei risultati del Colloquio.

*Mika Kajava*

*Codices Vaticani Latini. Codices 9734-9782 (Codices Amatiani). Recensuit Marcus Buonocore. Bibliothecae Apostolicae Vaticanae codices manu scripti recensiti iussu Ioannis Pauli II Pontificis Maximi. In bibliotheca Vaticana, MCMLXXXVIII. CII, 171 p. ITL 140.000.*

Corpus inscriptionum Latinarum quicumque adit, ei in plerisque voluminibus nomen Hieronymi Amati Savignanensis saepius occurrit, qui per multos annos, quibus Romae degebat, inscriptionibus antiquis indagandis operam dedit effusionibusque sua aetate institutis assidue adfuit. Servantur in codicibus Vaticanis 9734-9778 pugillares eius plurimi repleti inscriptionibus manu eius exaratis, maximam partem aut urbanis aut ad agrum Romanum civitatesque suburbanas pertinentibus; nec tamen desunt tituli aliarum civitatum Italicarum (aliquotiens etiam Graeciae inscriptiones memorantur). Ex quibus Amati ipse descripsit plurimas urbanas suburbanas, adiecit alias suppeditatas ab amicis Capranesio, Gerhardo, Odescalchio, Sartio, Vescovalio aliis. Commemorantur anni 1820, 1824-1829, 1833; lapides referuntur mille fere quingenti.

Hos codices Marcus Buonocore, Bibliothecae Apostolicae lector, iuvenis de rebus epigraphicis iam optime meritis, nunc edidit et diligenter illustravit (codices 9779-9782 ab eo item descripti ad artem epigraphicam non pertinent). Post perutilia prolegomena et comparisonem numerorum sequitur descriptio ipsorum codicum necnon indices nominum et rerum.

Titulos novos nonnullos continent codices, de quibus auctor p. CI-CII elenchum dat; removendus est autem 9734 f. 76, n. 130 DIIS / MANIBVS / SERGIVS / LAIS // DIIS MANIBVS / QVINTVS / MVTIVS, qui bis editus adhuc Romae in aedibus Mattei extat: A. Licordari, in: Palazzo Mattei di Giove: Le antichità, a cura di L. Guerrini, Romae 1982, p. 179 n. 43; Fr. Sinn, Stadtrömische Marmorurnen, Mogontiaci 1987, p. 151 n. 237. Ego Arctos 19 (1985) 310, titulum falsum diiudicavi, id quod nunc etiam ab Amatio confirmatur (deest nescio qua de causa inter inscriptiones urbanas falsas CIL VI fasc. 5). – Haud multum novi tituli inediti praebent, aliquid tamen non neglegendum, ut patet ex his observationibus:

9737 f. 50<sup>V</sup>, 69 = 9776 f. 11, 17 C. *Craecani Urbani* novum gentilicium *Craecanius Graecanius* praebet.

9747 f. 44<sup>V</sup>, 107 praebet novum cognomen *Senatrix* in quo agitur de forma feminina cognominis *Senator*. Magni momenti est novum testimonium quia monstrat Romanos

cognomen *Senator* cum appellativo *senator* colligasse, quamquam secundum dogma vulgatum *Senator* potius nomen Celticum esse debet.

9752 f. 1, 3: [---]HRODAS videtur esse *Aphrodas*, cfr. CIL VI 18443. Moretti, IGUR 1145.

9757 f. 90<sup>V</sup>, 23 (titulus Samius): idem Meneclis fortasse Michel 899 A-D.

9758 f. 29, 52: pondus ex lapide Tiburtino (erat Romae) hoc textu praeditum *L. Ampius Aper, C. Sufenas Volasenna Severus*. In mentem venit C. Volasenna Severus, consul suffectus a. 44 p.Chr.n.

9762 f. 55<sup>V</sup>, 45 ("Framm(ento) presso lo scarpellino al Tempio della Pace" Romae): [---] *Claro II* [---] / [---] *Dextra*[---]. Fortasse agitur de indicatione anni 146 quo Sex. Erucius Clarus consul II fuit.

9765 f. 31, 9: tessera gladiatoria nomen rarum *Chrysocomus* praebet.

9768 f. 14<sup>V</sup>, 15 in me suspicionem movit, quamquam dicit Amati "lettere certissimamente antiche e di buona età imperiale".

9773 f. 20, 26 = 9776 f. 213, 390: hic titulus Caeretanus incipit M CLEPSINAS. Si M re vera praenomen est, sequitur, ut *Clepsinas* nomen gentilicium esse debeat. *Clepsina* adhuc cognomen tantum gentis Genuciae innotuit. Sed *Clepsinas* formatio gentilis originis Etruscae facilis intellectu.

9776 f. 11<sup>V</sup>, 18 novum plumbarium M. Antonium Agathyrsum praebet. Fistula originis incertae, sed probabiliter Romae fuit.

9776 f. 19, 38: probabiliter *Veturius* legendum. Mirum videtur hominem ingenuum nullo cognomine praeditum seviratu fungi; fortasse inest error pro *IVvir*. Si titulus – quod fieri potest – Volsiniensis est, quattuorviratus plane cum eo municipio congruit.

9776 f. 215, 392 (Caere): D M S / FANNIAE LYSID[---] / QVAE V S[---] / ET CVR SEB H[---] / L HORAT PVLV[---] / VIIVIR EPVL IVVIR [---] / DIC Q VXOR [---] / B M. Plane falsus titulus. Nam Horatii Pulvilli post annum 386 a.Chr.n. noti non sunt, ut de honore septemviratus epulonum cum magistratibus municipalibus minime congruo taceam.

*Heikki Solin*